

Letter 32a: 16 November 1519, Basel, Capito to Albert of Brandenburg

This letter is not included in Millet's list. It follows the preface (above, Letter 32) on pp. 11-16 of Chrysostom's *Paraenesis prior* (Basel: Froben, 1519).

Ad reverendissimum patrem et illustrissimum principem D. Albertum, archiepiscopum Moguntinum, cardinalem etc. marchionem Brandeburgensem etc. praefatio in priorem Paraenesim ad Theodorum lapsum, V. Fabritii Capitonis.

5 Converti Paraenesim priorem divi Ioannis Chrysostomi e Graeco et pervetusto codice, quam scripsit ad Theodorum desertorem vitae monasticae. In qua utitur vir eloquentissimus viribus mirificis persuadendi, tanquam declamaret in medio scholae; quod cum veteribus ferme fuit receptissimum qui dicendi facultatem cum scientia scripturarum ex aequo coniunxerunt, tum maxime inter Graecos Chrysostomo, inter Latinos Hieronymo. Ubique enim omnia uterque rhetorico spiritu inflat. Finxerunt autem aliquando vel adversarios, ad quos deinde hostili animo affectarent, velut in acie de vita periclitantes; vel amicos egentes aut moerore subleva[n]tes; aut ad laborem stimuli, aut ab errore praecepti, aut aliarum rerum ad Christi dogmata pertinentium, quos argumentis perquam densis admirabili copia atque felicitate tractatis, tantum non compulerunt ad gaudia mentis, ad industriam, ad recti observantiam, et quocumque eis visum est, ut ea opera facundiam, a torpore, ab insolentia flaccescentem vindicarint, qua nihil uspiam 10 facilius, nisi usu assiduo tueatur, situm contrahit. Quibus postea praetexerunt honestos titulos, propter artis suspicionem evitandam, quae persuasa semel fidem derogat, diverso nimirum studio ab huius aetatis professoribus. Quemadmodum enim alienissimi sumus ab omni artificio, ita videri cupimus nihil absque artificio praestare. Adeo geruntur omnia ex praescripto, coacervatis perturbate multis scripturae dictis nihil ad rem facientibus. Toties Aristotelem, toties 15 Iustinianum, toties quaestiones, argumenta, replicas, doctores atque iterum doctores, et id genus bis mille nugae [gr.] meteorophenakoi crepamus. Sicque fieri oportere omni, quod aiunt, pede vulgo contendunt, quasi Christus humano praesidio fidat et veritas suas non habeat vires et incantamenta, quibus se insinuet, nisi fucis nostris inficeretur. Qui nobis apostolicum pectus aeditis libris referunt, aut scripturas ad Christum collimantes enarrant, aut de fide rationem sobrie 25 pureque reddunt, aut in hoc oratorio campo latissime pervagantes de fide, de pietate, de moribus inculpatis, de tolerantia et id genus Christi praeceptis nervose et efficaciter disserunt sine impudentia definiendi quidlibet. Aliquando bene, fateor, ad pugnam incitabantur malorum perfidia, verum interea non semel imaginatione quem conficerent Anthaeum Herculeae fortitudine statuerunt causa stili videlicet. Stili enim, ut facultatem dicendi gignit, ita fidissimus custos est adeptae. Neque erant illi coartati, ut nos, in angustias [gr.] ton deuteroseon. Libertas fuit, observatis Christi decretis, quaqua versum expatiandi, quatenus iudicii sanitas patet; quam sumpserunt admodum moderate viri gravissimi, nihil aliunde neque inepte fabulosum, neque ampullosum turgidumve admiscentes, adeoque eruditionem, praecipue Graeci, dissimularunt. Et quantum scio Latini quoque, praeter unum Hieronymum atque alterum Augustinum aliquanto, ut 35 videtur, [gr.] philotimoton, tantum sibi permiserunt scripturarum abuti praeiudicio, sed multum pudenter. Unde prudenti regula discreverunt inter divina decreta et placita hominum: nam haec incerta sunt, illa autem inexpugnabilis constantiae, contra quae neque angelo credendum. Quod enim homini visum est in horas mutatur, quantumcunque praesidio [gr.] tes tyrannidos communiatur; quod autem Dei est, neutiquam vitabitur. In opinionibus distant [gr.] hoi syngrapheis, in veritate sunt [gr.] parapan homopsephoi. Singuli dotes suas habent, quae in unum 40 haud facile unquam coalescunt: itaque qui eas molitur committere, nihil agit. Omnibus

perturbatis compingit corpus inaequabile, parum cohaerens, prodigiosum. Sicut in ethnicis  
autoribus [gr.] ta rhapsodia prosunt his demum, qui ea ad memoriae praesidium comportarunt,  
suisque cellulis distinxerunt, caeteris non item. Nam ad noxiam scientiae persuasionem sciolos  
45 plerunque confirmant, quasi omnium rerum possideant doctrinam, etiamsi nihildum vel extremis,  
quod aiunt, labiis delibarunt, quod proprie mereatur vocabulum doctrinae. Nemo ex Gratiani  
miscellaneis impetum et ardorem Hieronymi, vehementiam Chrysostomi, Hilarii subtilitatem,  
dignitatem apostolicam Cypriani intelliget, Gratiani autem et Isidori studium nemo non intelliget.  
Sed vir [gr.] ho philergos ad compendium forte memoriae suae illa consarcinavit, aut si in  
50 publicum scripsit, ita scripsit, ut nemini praeiret, etiam si nunc eius sententia ipsis Christi  
oraculis aequetur. Quis ex Petro Lombardo unius dotes ex veteribus unquam aspiciet  
praeterquam Augustini, si tamen Augustinum expressit; quandoquidem verbulis tribus, aut  
quatuor decerptis, quae robur obtinent a corpore potissimum orationis, et ab ipsa constitutione  
nihil certi poteris adumbrare, nisi perquam tenuissimum. Avulsum enim a reliquo corpore  
55 membrum exangue est et inutile. Adde quod strophis interim callide ludunt autores, arguto  
lectori satis loquuntur, sed saepe admodum cautim, ut simul ansam calumniae celent eos, quibus  
ad nocendum praeter occasionem nihil deest. Quare perlecti etiam fallunt parum attentum, imo  
nunquam intelliguntur nisi ab eorum phrasi assuetis; quanquam ausim polliceri in hac una  
Paraenesi multum indolis divini huius viri apertum. Etenim summa aequitate una librat contraria,  
60 nimirum poenae severitatem et clementiam iudicis, atrocitatem criminis et veniae  
promptitudinem, ex peccato de quo non resipis totam gehennam et ex resipiscentia semel  
universam remissionem, ne quis iracundum, plagosum vindicem Deum accipiat, aut ediverso  
praesumat impunitatem malorum nondum extritorum per poenitentiam.

Videor mihi olfacere cur Ambrosius Calmadulensis [sic] ab hac vertenda manum  
65 abstinuit, cum posteriorem ad eundem vertit et libellos in Graecis codicibus huic nostrae  
praemissos. Difficultas quae maior inest quam in aliis propter argutissimos griphos disputationis  
tam doctum virum non videtur submovisse. Deterruit, opinor, asseveratio quarundam opinionum,  
quae cum dogmatibus vulgaribus pugnant; cuiusmodi est, ut unum proferam, post remissam  
culpam relictis debiti exolutio, quam exigimus inexorabiles, quasi Deus non esset paratior ad  
70 condonandum quam sunt exasperatae mulierculae. Videmus enim quod interim verbulo placantur  
et mitescunt, praesertim si cedis, si te submittis stomachantibus. Sed et vir magnanimus iniuriam  
suam non ita exacte ulciscitur.

Hanc Paraenesim quoniam [gr.] adespoton reperi et tamen ob invisam morosulis istis  
tractandi dignitatem et libertatem patrono eget non vulgari, sed qui potestatem habet, ut obscura  
75 maiestate illustret, ut invisata gratia adiuvet, ut imbecilliora subfulciat autoritate, tibi dicavi,  
reverendissime pater, illustrissime princeps, quo nemo est alius huic muneri magis idoneus,  
quem aequali nisu ad summa omnia formarunt benigna rerum parens natura et fortuna, caeteris  
non raro iniquior. Illa genus amplissimum dedit, ingenium acre, corpus elegans et integrum  
viribus; haec ut liberis imperes, ut principibus antestes potentia non minus quam prudentia et  
80 splendore virtutis, ut ecclesiastica dignitate inter columina fidei procul emineas, ut unum  
duntaxat pontificem Christi vicarium agnoscas in terris superiorem. Et probe functum officio  
Mecoenatis existimabo, si meam hanc opellam vel obiter inspexeris: quod nolim intempestivius  
impetrem, sed tum demum ubi licebit et ocium suppeditabit tuae celsitudini tot districtae curis,  
tot negociorum undis obrutae.  
85 Valeat reverendissima et illustrissima paternitas tua et studia Capitonis ornare, ut coepit, alereque  
pergat. Basileae xvi Calend. Decembris. Anno MD XIX.